



# **Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum**

**Simonnet, Edmond**

**Venetiis, 1731**

Disputatio VI. De materia & obligatione legum humanarum, tam civilium  
quàm ecclesiasticorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)



tra, non extra territorium. Sic Beneficiarius, qui abest a territorio in quo beneficium habet, incurrit censuras contra non residentes latas ab Episcopo territorii illius; quia in illo peccatum non resistit iuri committi jure merito censetur.

## RESPONSIO VIII.

Peregrini & advenæ tenentur legibus loci in quo inveniuntur, sive diutius ibi morentur, sive brevius.

*Prob.* Nam Principes, tam Ecclesiastici quam Seculares, legibus suis obligant eos omnes qui eorum jurisdictioni subjacent, quandiu subjacent. Atqui peregrini & advenæ, hoc ipso quod ingrediuntur territorium aliquod, subjacent jurisdictioni Principis illius territorii, & tandiu subjacent, quandiu in illo morantur. Hoc enim recta gubernatio & bonum commune postulant, & Principes Sæculares habent ex natura rei, Principes verò Ecclesiastici, ex concessione Christi, vel Ecclesiæ, jurisdictionem necessariam ad utilem & convenientem administrationem communitatis, & commune bonum procurandum.

Hinc, nemine reclamante, Principes sæculares, quando expedit bono communi, multa statuunt, etiam in ordine ad peregrinos, ut quod frumentum non exportetur; quod triticum ultra tale pretium non vendatur, &c. Imò statuunt aliqua, quæ solos peregrinos obligant, ut quod ultra certum tempus non morentur in civitate, vel provincia, aut regno; & si non obediunt, puniuntur. Item Principes Ecclesiastici puniunt peregrinos non servantes festa localia.

Quando igitur in Jure civili dicitur, peregrinos non sortiri forum loci per quem transeunt, hoc de illis intelligendum est, postquam inde excesserunt. Quod autem fortiantur forum loci per quem transeunt, quandiu in eo sunt, constat ex praxi, & sortiri debere recta ratio docet, si nimirum ibi delictum aliquod committant. Hic tamen obiter observamus, hoc, quod dicimus, peregrinum subjacere jurisdictioni Principis territorii in quo inveniunt, intelligendum esse cum aliqua restrictione, videlicet modo persona non sit talis, ut propter eminentem dignitatem, nec possit, nec debeat subjacere.

## DISPUTATIO VI.

De materia & obligatione Legum humanarum, tam civilium quam ecclesiasticarum.

## ARTICULUS I.

Utrum legislator humanus possit præcipere vel prohibere actus internos.

## RESPONSIO I.

**L**egislator humanus non potest præcipere aut prohibere actus merè internos.

*Prob.* Legislator humanus non potest præcipere aut prohibere actus, & quorum positionem aut omissionem non potest cogere subditos. Atqui legislator humanus non potest cogere subditos ad positionem actuum merè interiorum. Ergo, &c. Minor per se patet: quum enim actus merè interni, nec per aliud sufficienter cadere possint sub cognitionem humanam, de illorum omissione vel positione legislator humanus judicare non potest, & ita non possit punire subditos omitrentes actus merè internos qui præciperentur, aut ponentes actus merè internos qui prohiberentur; non possit inquam, punire pena, non solum per ipsam legem præcipientem aut prohibentem, sed etiam per sententiam ab homine latam inflicta: quod tamen ad vim coactivam propriè dictam requiritur.

*Prob. ergo maj.* Nam in legislatore civili ex natura rei, & in legislatore ecclesiastico ex institutione Christi, non est potestas præcipiendi aut prohibendi, sine

potestate cogendi. Ergo, &c. *Prob. ant.* In communitate perfecta, & consequenter in legislatore civili, non est ex natura rei; similiter in legislatore ecclesiastico non est ex institutione Christi potestas præcipiendi aut prohibendi, nisi quæ conveniter exerceri potest, & conducibiliter ad commune bonum. Atqui hoc modo exerceri non potest potestas præcipiendi aut prohibendi, nisi quæ cum potestate cogendi conjuncta est, ut consideranti facillè patet.

Et verò cum leges non tam statuantur pro justis, quam pro injustis, juxta illud Apostoli 1. ad Timoth. c. 1. *Lex justo non est posita, sed injustis*; certè leges non statuuntur, & ita potentia legislativa non exercetur convenienter, & conducibiliter ad bonum commune, sine potestate cogendi ad ea quæ legibus statuuntur. Mali enim, qui in quavis republica bonos numero facillè superant, parùm solliciti de conscientia, & de impunitate certi, & leges sine potestate cogendi latas, & ipsum legislatorem facillè contemnerent.

Hoc argumentum suggerit S. Thomas hic q. 91. a. 4. in o. ubi sic loquitur: *De his potest homo legem facere, de quibus potest judicare: Judicium autem hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus actibus, qui apparent. & ideo lex humana non potuit cohibere, & ordinare sufficienter interiores actus: sed necessarium fuit, quod ad hoc supervenerit lex divina.*

Secundum principia igitur sancti Doctoris, neque legislator civilis ex natura rei, neque ecclesiasticus ex institutione Christi, potestatem habet statuendi de actibus merè internis, sed hæc potestas secundum sapientem providentiæ dispositionem, reservata est soli Deo legislatori, in cujus oculis omnia nuda sunt & aperta. Unde tam de internis quam de externis judicare potest, proindeque tam ad interiorum quam exteriorum actuum positionem vel omissionem cogere potest creaturam rationalem.

Potest dicitur in responsione, actus merè internos: potest enim legislator humanus præcipere vel prohibere actus internos, necessarios ad positionem vel omissionem actuum exteriorum, quos præcipere vel prohibere potest. Sic v. g. legislator humanus præcipiens actum externum recitandi officium, præcipit voluntatem efficacem recitandi, sine qua actus externus recitandi poni non potest. Similiter legislator humanus prohibens actum externum furandi, prohibet voluntatem efficacem furandi, qua posita, actus externus furandi non potest omitti, cum adest furandi opportunitas.

Ratio est, quia 1. tales actus interni sufficienter innotescent per externos, quibuscum unum totalem actum constituunt. Unde legislator humanus potest de illis judicare, & ad illorum positionem vel omissionem sufficienter cogere. 2. Legislator humanus potestatem habens præcipiendi vel prohibendi aliquem actum externum, hoc ipso non potest non habere potestatem præcipiendi vel prohibendi id omne quod necessarium est ad illius positionem vel omissionem.

Hoc tamen discrimen interest inter actum externum & actum internum, ad ejus positionem vel omissionem necessarium, quod externus per se primò præcipiatur vel prohibeatur, internus verò præcipiatur vel prohibeatur secundariò tantum, & ratione externi, quatenus ad illum ponendum vel omitendum necessarius est. Ratio autem est, quia potestas legislativa, sive civilis, sive ecclesiastica, per se primò ordinatur ad regimen externum communitatis, sive civilis, sive ecclesiasticæ, & ita per se primò versatur circa actus externos, & ita circa internos non versatur, nisi propter externos.

*Obj.* Christus dare potuit Ecclesiæ potestatem præcipiendi vel prohibendi actus merè internos, Deo relinquendo cognitionem & punitionem transgressionum merè interiorum. *R.* Christum absolute potuisse potestatem hanc dare Ecclesiæ: nam illam habet, nec illam communicari Ecclesiæ repugnat; de facto tamen



men non communicavit, quia, ut probatum est, Ecclesia non posset illam convenienter exercere, & conducitur ad bonum commune, ob defectum potestatis condendi. Quod confirmatur ex eo quod, 1. talis potestatis Ecclesiae concessae nullum exter indicium in Scriptura, vel Traditione. 2. Tali potestate hactenus Ecclesia nunquam usa sit. 3. Summi Pontifices, qui totam suam jurisdictionem saepe explicant & tuerentur, hanc potestatem sibi nunquam attribuant, sed potius expresse significant actus merè internos extra forum suum existere. Sic Innocentius III. cap. *Tua nos*, tit. de Simonia dicit: *Nobis datum est, de manifestis tantummodo judicare.*

*Obj.* Potestas ecclesiastica spiritalis est, & ordinatur ad finem supernaturalem, & bonum internum animarum. Ergo valet etiam ad præcipiendos vel prohibendos actus merè internos. Ad ejus difficultatis solutionem nota cum Suare. Potestas ecclesiastica, secundum totam latitudinem suam, duplex est, nempe potestas fori interni, & potestas fori externi. Potestas fori interni data est immediatè & maximè propter internam animæ salutem, & consequenter versari potest, ac potissimum versatur circa actus internos, in quibus consistit interna salus animæ; atque propter rationem eandem, actus hujus potestatis pertinent ad jurisdictionem, quam Jurista vocant voluntariam, quia exercetur in commodum subditi ad petitionem vel consensum ejus: nam interna salus, & peccatoris reconciliatio cum Deo, debet esse voluntaria. Hujus autem potestatis actus sunt absolutio à peccatis, dispensatio in votis, votorum commutatio; relaxatio poenarum apud Deum per indulgentias: hæc enim omnia sunt propter internum animæ bonum.

Potestas fori externi est potestas totius communitatis gubernativa, & à Christo data est immediatè & proximè propter externam Ecclesiae gubernationem: unde immediatè & proximè versatur circa actiones humanas externas, ex quarum directione pendet bonum externum totius communitatis ecclesiasticæ. Hujus autem potestatis actus sunt, præcipere, prohibere, statuere, punire, &c. qui proinde per se primò versatur circa actiones humanas externas, ad quam directionem potestas, cujus sunt actus, immediatè & proximè ordinatur; nec proinde versatur circa actiones internas, nisi propter externas, & quantum necessariae sunt ad aliquod esse, sive physicum, sive morale externarum. Hæc igitur potestas fori externi cum suis actibus non ordinatur ad finem supernaturalem, & internum bonum animarum, nisi mediatè & remotè, mediante scilicet honestate externarum actionum, circa quas immediatè & proximè occupatur; nihilominus tamen dicitur, & est potestas spiritalis, quia & à Christo data est, & mediatè ac ultimè refertur ad finem supernaturalem, & internum bonum animarum. His præsuppositis.

*Ad obj. R. neg. conseq.* Nam 1. potestas ecclesiastica spiritalis est; non quia potest præcipere vel prohibere actus merè internos, sed quia à Christo instituta est, & ordinata ad finem supernaturalem, & internum bonum animarum, immediatè quidem & proximè, quia potestas est fori interni; unde quia talis, versatur etiam circa actus merè internos, absolviendo, retinendo, dispensando in votis, &c. Mediatè verò & ultimè tantum, quia potestas est fori externi: nam quia talis, est potestas gubernativa, & occupatur immediatè ac proximè circa regimen externum communitatis ecclesiasticæ, proindeque immediatè ac proximè versatur circa actiones humanas externas, præcipiendo, prohibendo, &c. nec nisi propter illas versatur circa internas, quantum necessariae sunt ad aliquod illarum esse morale, ut dicitur infra: unde non ordinatur ad finem supernaturalem, & internum bonum animarum, nisi mediante honestate actionum externarum, quas per præcepta sua dirigit.

*Dices.* Matth. c. 16. Christus sine restrictione Petro & successoribus ejus dixit: *Quaecumque ligaveris,*

*&c.* Ergo Summi Pontifices à Christo acceperunt potestatem præcipiendi vel prohibendi etiam actus merè internos. *R. neg. conseq.* Itaque per hæc Christi verba, Petro & successoribus ejus promissa sunt, & postea data per ista alia. *Pasce oves meas*, amplissima potestas, tum in foro interno, tum in foro externo, vi cujus potestatis Romani Pontifices possunt in foro interno absolvere à peccatis, reservare peccata, poenitentias imponere, dispensare in votis, vota commutare, concedere indulgentias, &c. & in foro externo ferre leges pro universa Ecclesia, præcipiendo vel prohibendo immediatè & proximè actiones externas, & consequenter internas, quantum necessariae sunt ad externarum positionem vel omissionem, aut etiam illas præcipiendo, quantum necessariae sunt ad aliquod esse morale, seu quasi artificiale externarum, ut explicabitur.

Attamen verba Christi laudata, necessariò intelligi debent cum aliqua restrictione subintellecta; quia Romani Pontifices non acceperunt à Christo potestatem in foro externo, quæ non posset convenienter exerceri. Potestas autem præcipiendi vel prohibendi actus merè internos, convenienter ab hominibus exerceri non potest; cum homines non possint de illis judicare, & ita non possint transgressores punire, sique non possint ad summum habere, nisi vim directivam circa actus merè internos. Ad quidem autem sola vis directiva sine vi coactiva valere posset apud homines, maxima saltem ex parte ad inobedientiam aded proclives.

Ex dictis hactenus pater quid respondendum sit huic quæstioni, utrum lex humana prohibeat desideria inefficacia, & simplices complacentias internas circa actus externos, ipsa lege humana prohibitos, retenta prohibitione, hoc est, non præcindo à prohibitione; v. g. utrum lex ecclesiastica prohibens esum carniū die Veneris, prohibeat desiderium inefficax comedendi carnes hoc die, retenta prohibitione; quod desiderium sic exprimitur: Vellem comedere carnes die Veneris: qui enim hoc dicit, non præcindit à prohibitione, sicut præcindit, qui dicit: Vellem comedere carnes die Veneris, si non esset prohibitum.

Itaque cum desideria illa inefficacia, & simplices illæ complacentiæ sint actus merè interni, proindeque cum legislator humanus non possit de illis judicare, nec punire transgressores, non potest illa prohibere lege sua: sunt tamen peccata, quia sunt lege naturali prohibita, propter intrinsecam indecentiam, seu intrinsecam difformitatem quam habent cum natura rationali. Hinc qui ex animo dicit: Vellem comedere carnes die Veneris, peccat, venialiter scilicet, vel mortaliter, pro levitate vel gravitate materiæ; peccat, inquam, contra virtutem, nempe temperantiam, ex cujus affectu lex ecclesiastica prohibet ne die Veneris comedantur carnes, & prohibendo facit, ut non solum desideria inefficacia, quæ naturali necessitate sequitur esus carniū, sed etiam inefficacia, retenta prohibitione, concepta, repugnent virtuti temperantiæ, & ita specialem turpitudinem, seu cum natura rationali difformitatem habeant, propter quam lege naturali prohibentur.

## ARTICULUS II.

*Utrum legislator humanus possit præcipere actus internos, sine quibus quidem possunt existere actus externi quos præcipit, sed sine quibus non possunt habere quoddam esse morale quod intendit.*

## RESPONSIO I.

**L**egislatur humanus præcipere potest actus internos, ad hoc necessarios, ut actus externi habeant quoddam esse quasi artificiale, ut esse contra actus, sacramenti, orationis, &c.

*Prob.* Nam legislatur humanus potest præcipere actus externos, non solum quoad esse physicum, sed etiam



etiam quoad esse quasi artificiale contractus, sacramenti, orationis, sacrificii, &c. Ergo consequenter præcipere potest non solum actus internos, necessarios ad esse physicum actuum externorum, sed etiam internos actus, necessarios ad hoc, ut actus externi habeant esse quasi artificiale contractus sacramenti, orationis, &c. Conseq. patet.

*Prob. ergo ant.* Nam legislator humanus, sive civilis, sive ecclesiasticus, cum præcipit subditis, ut contrahant, præcipit contractum non solum quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale contractus; præcipit enim non solum ut exterius, sed etiam ut verè & ex animo contrahant. Legislator ecclesiasticus præcipiens sacrificium Missæ, non solum præcipit illud quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale Sacrificii; præcipit enim sacerdotibus non præcisè ut exterius, sed ut verè sacrificent. Item præcipiens beneficiatis ut recitent horas canonicas, præcipit illis orationem non solum quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale orationis. Item can. *Omnes utriusque sexus*, præcipiens fidelibus omnibus, quoad annos discretionis pervenerunt, ut singulis annis confiteantur, præcipit illis confessionem annuam, non solum quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale Sacramenti; præcipit enim illis, ut singulis annis Sacramentum Pœnitentiæ percipiant. Atqui quod legislator humanus in his casibus, & aliis similibus, tentet id quod non potest, perperam diceretur. Ergo, &c.

Ratio à priori est, quia 1. tales actus externi possunt à legislatore humano convenienter præcipi non solum quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale contractus, sacrificii, sacramenti, orationis, &c. Quia non solum quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale contractus, sacrificii, &c. sufficienter cadere possunt sub cognitionem humanam, ad hoc ut legislator humanus de illis judicare possit. 2. Ad rectam gubernationem requiritur, ut cum legislator tales actus præcipit, possit illos præcipere, & re ipsa præcipiat non solum quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale contractus, sacrificii, sacramenti, &c. igitur quando legislator humanus præcipit contractum, præcipit consensum internum, sine quo non potest esse verus contractus: quando præcipit sacrificium, præcipit intentionem sacrificandi; quando præcipit recitationem horarum canonicarum, præcipit intentionem orandi, & internam attentionem: quando præcipit annuam confessionem, præcipit internum animi dolorem, sine quo Pœnitentiæ sacramentum suscipi non potest, &c.

Hinc 1. Rectè damnata est ab Alexandro VII. hac propositio: *Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*. Nam nequidem per confessionem inculpabiliter nullam satisfacit præcepto ecclesiastico annuæ confessionis. 2. Graviter peccari potest contra legem humanam, sive civilem, sive ecclesiasticam, ob solum defectum actus interni, licet nullus appareat defectus in actu externo, quando scilicet actus internus necessarius est ad aliquod actus externi esse morale, quod præceptum est.

3. Et ita potest aliquis, licet nullus appareat defectus in actu externo, incurrere pœnas ipso jure impositas transgressionibus legis humanæ, omittendo actum internum, necessarium ad aliquod esse morale actus externi præceptum. Tunc autem transgressor pœnas illas incurrat, non ob transgressionem merè internam, sed ob externam transgressionem, v. g. ob omissionem orationis vocalis, ob omissionem susceptionis sacramenti sensibilis, &c. quamquam hac omisso occultetur per fictionem orationis, susceptionis sacramenti, & ita fortasse occultetur, ut possit humanitas detegi, quia humanitas fictio detegi non potest: quod tunc se habet per accidens.

4. Beneficiatus cum debita devotione externa, quæ sita est in compositione reverenti, absque externa occupatione, naturaliter impossibili cum attentione interna, recitans horas canonicas, sed sine intentio-

ne orandi, & interna devotione seu attentione, nisi iterum recitet modo debito intra tempus habile, incurrat pœnas ipso jure impositas non servantibus præceptum ecclesiasticum de recitandis horis canonicis. Incurrat autem, non quia præcisè habet intentionem orandi, & devotionem seu attentionem internam, sed quia omittit orationem, præceptam sub illis pœnis, ipso facto incurrendis: non enim verè orat vocaliter, quod tamen præceptum est, sed solum exterius profert verba orationis vocalis, & proferendo fingit se orare. Omittit ergo actionem externam, & de se sensibilem, propter quam certè puniri potest, & jure merito puniatur per legem ecclesiasticam. Excusatur tamen, si habeat intentionem orandi, & sit involuntariè distractus.

*Obj.* Legislator humanus non potest præcipere actus, qui nullo modo se produnt externis. Atqui tales sunt actus interni, necessarii ad esse quasi artificiale actuum externorum. Ergo, &c. R. neg. min. Nam actus illi interni, qui requiruntur ad esse quasi artificiale actuum externorum constituunt cum illis unum & eundem actum totalem, & consequenter per illos humano modo innotescunt sufficienter. Nam 1. ex omissione externorum evidenter arguitur internorum omisso. 2. Ex positione actuum externorum quoad esse physicum, morali quadam certitudine, in rationabili præsumptione consistit, colligitur eorum positio quoad esse quasi artificiale, proindeque positio internorum actuum qui ad tale esse requiruntur, quod sufficit; quamquam hæc præsumptio sit fallibilis, quia homo mentiri potest, & fingere.

## RESPONSIO II.

Ecclesiæ potest etiam præcipere actus internos, necessarios ad esse morale honestatis, seu ad esse moralis integritatis actuum externorum.

*Prob.* Nam Ecclesiæ potest præcipere actus humanos non solum quoad esse physicum, sed etiam quoad esse moralis integritatis. Ergo potest præcipere actus internos, ad hoc esse necessarios. Conseq. patet.

*Prob. ant.* Ecclesiæ potest præcipere id quod re vera præcipit: non enim dici potest sibi attribuire potestatem aliquam, quam tamen à Christo non acceperit. Atqui præcipit actus externos etiam quoad esse moralis integritatis: nam v. g. per præceptum communionis paschalis præcipit fidelibus sumptionem corporis Christi, etiam ut honestam & bonam moraliter, ut patet ex hac propositione ab Innocentio II. damnata: *Præcepto communionis annuæ satisfacit per sacrilegam Domini manducationem*. Ergo, &c.

Ratio à priori nostræ responsionis est, quia 1. potestas præcipiendi actus externos, etiam quoad esse morale honestatis, ac proinde & præcipiendi actus internos, qui ad hoc esse requiruntur, potest convenienter exerceri ab hominibus, quippe qui possunt sufficienter judicare in foro externo de actibus externis etiam quantum ad esse moralis integritatis, & ita possunt sufficienter judicare in foro externo non solum de actibus externis quoad esse physicum, sed etiam de internis, à quibus esse moralis integritatis accipiunt externi, quique cum externis unum & eundem actum totalem honestum & moraliter integrum constituunt.

2. Hæc potestas bono communi Ecclesiæ aut necessaria esse, aut saltem plurimum expedire potest, ut si Ecclesiæ verteretur in gravi periculo, vel necessitate, & velit Deum placare, vel sibi conciliare per piās fidelium actiones, cum morali integritate factas, puta per eleemosynas, jejunia, &c. Item hæc potestas requiritur ad ordinandum cultum religionis externum, ad quem pertinent actiones humanæ externæ, non solum quoad esse physicum, sed etiam quoad esse morale honestatis, sicut pertinent ad illum etiam quoad esse quasi artificiale sacramenti, orationis, sacrificii. Denique hanc potestatem in Ecclesiæ exigit finis supernaturalis, & interna salus animarum, ad quam externam reipublicæ christianæ regimen ordinatur.

A R-



## ARTICULUS III.

*Quid legislator humanus præcipere, prohibere, vel statuere possit circa actus externos.*

## RESPONSIO I.

**L**egislator humanus non potest quidquam statuere contra jus divinum, sive naturale, sive positivum.

*Prob.* Si Legislator humanus posset aliquid statuere contra jus divinum, inferior posset derogare juri superioris ut patet ex terminis. Sed inferior juri superioris derogare non potest. Ergo, &c. Potest tamen legislator humanus legibus suis munire jus divinum tam naturale quam positivum: potest enim præcipere vel prohibere multa, quæ sunt præcepta vel prohibita jure divino, tam naturali quam positivo. Item potest à fortiori authenticè declarare quid sit jure divino, naturali aut positivo præceptum vel prohibitum, & quid sequatur ex principiis juris divini, sive naturalis, sive positivi.

## RESPONSIO II.

Legislator humanus potest multa præcipere, vel prohibere, aut statuere, quæ jure divino, sive naturali, sive positivo, non sunt præcepta, vel prohibita, aut statuta.

*Prob.* Quia legislator humanus, sive civilis, sive ecclesiasticus, potest præcipere vel prohibere, aut circa res vel personas statuere ea omnia, quæ præcipi vel prohiberi, aut circa res vel personas statui ad bonum commune, & rectam communitalis sive civilis, sive ecclesiasticæ gubernationem expedit. Atqui ad hoc expedit multa præcipi vel prohiberi, aut circa res vel personas statui, quæ nullo jure divino præcepta, vel prohibita, aut circa res, vel personas statuta sunt.

Præterea, jus divinum multa præscribit, quorum majorem fieri determinationem postulat bonum commune, & recta gubernatio communitalis. Atqui legislator humanus potest quicquid postulat bonum commune, & recta communitalis gubernatio. Ergo legislator humanus legibus suis magis determinare potest, quæ jus divinum indeterminatè præscribit, & consequenter legibus suis potest multa præcipere, vel prohibere, aut statuere quæ non sunt jure divino præcepta, vel prohibita, aut statuta. Min. patet.

*Prob. maj.* Nam v.g. jus divinum præscribit in genere, ut Deus colatur, ut fideles aliquando confiteantur, & sumant Eucharistiam, ut peccata pœnis coercentur. Bonum autem commune, & recta gubernatio communitalis postulat, ut quibus modis colendus sit Deus, quo tempore & quoties peccata sint confitenda, & sumenda Eucharistia, quibus pœnis peccata coercentur, à legislatore determinentur, Ergo, &c.

## RESPONSIO III.

Legislator humanus nihil potest statuere, quod non sit utile ad bonum commune.

*Prob.* Nam potestas ferendi leges non est data hominibus, nisi propter bonum commune procurandum. Ergo potestas ferendi leges non est ad quilibet, sed solum ad statuenda ea, quæ bono communi expedire possunt. Ergo legislator humanus non potest præscribere, nisi ad bonum commune utilia, & multò minus potest præscribere nociva, vel majoris boni impeditiva. Ad quod pertinet id quod Apostolus dicit Cor. c. 10. potestatem ecclesiasticam à Christo datam non esse ad destructionem, sed ad edificationem. Potest tamen legislator humanus ad libitum ex multis aequalibus & indifferentibus unum præ alio eligere, & præscribere in ordine ad bonum commune, quoties bono communi expedit unum ex eis præscribi, sunt enim, ut supponitur, utilia ad bonum commune, nec est ratio unum præ alio eligendi, & potius præ-

scribendi quàm aliud. Sic v.g. legislator, ex multis cœremoniis, has præ illis ad colendum Deum, & ex variis vestium generibus, hoc præ illo ad proscribendum luxum eligere & præscribere.

## RESPONSIO IV.

Legislator humanus potest præcipere honesta, non solum in materia justitiæ, & prohibere vitia huic virtuti opposita, sed etiam in materia virtutum aliarum.

*Prob.* Nam potestas ferendi leges, hominibus data, tantam habet latitudinem, quantam postulat bonum commune propter quod instituta est. Atqui bonum commune postulat, ut potestas ferendi leges, hominibus data valeat ad præcipiendam honestam non solum in materia justitiæ, sed etiam in materia aliarum virtutum, puta fortitudinis, temperantiæ, &c. Ergo, &c. Porro, quia potestas ferendi leges alia civilis est, alia ecclesiastica, nec est idem finis utriusque, non ad utramque pertinet præscribere actus omnium virtutum, sed solum unaquæque præcipere potest actus virtutum illarum, quæ fini suo sunt accommodatæ.

## RESPONSIO V.

Nullus legislator humanus præcipere potest actus virtutum omnium, aut prohibere omnia vitia. Ita S. Thomas hic q. 96. a. 3. in O.

*Prob.* Quia omnis lex humana, sive civilis, sive ecclesiastica, debet esse accommodata conditioni hominum, ita ut sit de re moraliter possibili toti communitati, aut saltem majori parti communitalis. Atqui exercere actus virtutum omnium, & fugere vitia omnia, non est moraliter totius communitalis, aut etiam majoris partis illius, sed perfectiorum, qui pauci sunt in qualibet communitate perfecta. Ergo, &c.

Minorem demonstrat experientia. Major patet ex fine legis omnis, quod est bonum commune procurandum, & quod certè procurari non potest, nisi per leges hominum conditioni accomodatas, & quarum observatio moraliter possibilis est majori saltem parti communitalis: leges enim non accommodatæ conditioni hominum, & quarum observatio non esset moraliter possibilis, nisi paucis & perfectis, magnis perturbationibus occasionem præberent, & in subditorum, ac proinde & communitalis ruinam vergerent.

Hinc legislator humanus non potest præcipere virginitatem perpetuam, jejunia frequentissima, &c. item non potest prohibere vitia quædam contra justitiam, castitatem, & alias virtutes, quæ non nisi difficillimè à majori parte communitalis vitari possunt. At potest præcipere actus illos virtutum, qui ad bonum commune, si à subditis exerceantur, multum conducere possunt, & aliunde accommodati sunt ordinariæ hominum facultati. Item prohibere potest actus illos vitiorum, qui noxii sunt bono communi, & cum morali communitalis utilitate coerceri & puniri possunt. Quando verò vitia non sunt communitati noxia, aut majora mala timeantur ex eorum castigatione, tolerari debent à legislatore.

Porro responsio nostra intelligi debet de legibus communibus, quæ etiam nolentibus imponuntur, non de Religiosorum regulis, quæ sponte suscipiuntur ex amore perfectionis christianæ, quamvis & illarum observatio debeat esse moraliter possibilis majori saltem parti communitalis religiosæ. 2. De legibus præceptivis & prohibitivis; leges enim declarativæ juris divini versari possunt circa omnes actus virtutum, vel vitiorum, declarando scilicet illos bonos, vel malos esse. 3. De legibus præceptivis & prohibitivis absolutè: potest enim legislator humanus, ex aliqua hypothefi voluntaria, subditis præcipere v.g. perpetuam castitatem, ut re ipsa suscipientibus sacros ordines præcipit Ecclesia. Item ex hypothefi gravis delicti liberè commissi, gravissimas



vissimas pœnas potest imponere, ut docet usus Ecclesiæ.

## ARTICULUS IV.

*Utrum, & quando leges humana obligent in conscientia.*

## RESPONSIO I.

**L**ex humana, tam civilis quàm ecclesiastica, potest obligare in conscientia.

*Prob. 1. de lege civili.* Nam lex dicitur obligare in conscientia, quando is qui transgreditur legem, offendit Deum: tunc enim transgressor legis lædit conscientiam suam. Atqui fieri potest, ut qui transgreditur legem civilem, Deum offendat; & re vera Deum offendit, quoties legislator civilis subditos obligare vult. Ergo, &c.

*Prob. min. ex Apostolo Rom. cap. 13.* ubi loquens de potestate civili; sic ait: *Non est potestas, nisi à Deo; quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* Unde sic argumentor breviter. Qui Deo resistit, Deum offendit. Unde, ut subjicit Apostolus, resistendo sibi damnationem acquirit. Sed qui resistit potestati civili, transgrediendo legem ab ea latam, Deo resistit. Ergo Deum offendit. Hinc Apostolus subjicit: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

*Prob. 2. de lege ecclesiastica.* Transgressio legis ecclesiasticæ potest esse offensæ Dei. Ergo potest lædere conscientiam transgredientis. Ergo lex ecclesiastica potest obligare in conscientia. Pater utraque consequ. ex dictis. *Prob. ant. ex verbis Christi, Principes ecclesiasticos sic alloquens Luc. c. 10. Qui vos spernit, me spernit.* Unde sic argumentor breviter. Qui spernit Deum, Deum offendit. Sed qui spernit Principes Ecclesiasticos, leges ab illis latas transgrediendo, spernit Deum. Ergo qui spernit Principes Ecclesiasticos, seu, quod idem est, qui transgreditur leges ecclesiasticas, Deum offendit.

Ratio à priori pro utraque parte est, quia qui violat jus alterius, Deum offendit: Deus enim vult ut suum unicuique tribuatur, & violare jus alterius, est intrinsecè malum, unde prohibitum est lege divina naturali; & ita qui violat jus alterius, peccat contra legem divinam naturalem, proindeque offendit Deum. At non obtemperans præcepto legislatoris, sive civilis, sive ecclesiastici, violat jus ejus: omnis enim legislator, sive civilis, sive ecclesiasticus, jus habet præcipiendi, & consequenter jus habet, ut sibi præcipienti obtemperetur. Ergo non obtemperans præcepto legislatoris, sive civilis, sive ecclesiastici, offendit Deum. Sed offendendo Deum, lædit conscientiam suam. Ergo, &c.

## RESPONSIO II.

Lex humana, tam civilis quàm ecclesiastica, potest inducere obligationem in conscientia, sufficientem ad peccatum mortale.

*Prob. Lex humana, tam civilis quàm ecclesiastica, potest inducere obligationem in conscientia gravem.* Ergo potest inducere obligationem in conscientia, quæ ad mortale peccatum sufficit.

*Prob. 1. ant.* Nam legislator humanus, tam civilis quàm ecclesiasticus, potest pro suo jure per legem suam exigere aliquid grave, illudque graviter exigere à subditis, quoties id necessarium est, aut saltem expedit ad bonum commune. Ergo quoties id necessarium est, aut saltem expedit ad bonum commune, potest pro jure suo imponere obligationem in conscientia subditis suis reddendi sibi aliquid grave, quod graviter exigit: nam si potest pro jure suo aliquid à subditis per legem suam exigere, hoc ipso quod exigit, subditi tenebuntur in conscientia illud reddere. Atqui obligatio in conscientia reddendi aliquid

*Simonnet Theol. Tom. II.*

grave, quod graviter quis exigit pro jure suo, gravis est: obligatio enim in conscientia reddendi debitum, non potest non esse gravis, quando id quod debetur, grave est, & graviter, hoc est, ex integro jure exigitur. Ergo, &c.

*Prob. 2. consequ.* Nam omnis obligatio in conscientia sufficit ad aliquam Dei offensam. Imò eatenus aliquis dicitur obligari in conscientia ad aliquid faciendum vel omittendum, quatenus illud omittere vel facere non potest, quin Deum offendat, & ita illud omittendo vel faciendo, conscientiam suam lædat. Ergo omnis obligatio in conscientia gravis sufficit ad gravem Dei offensam. Atqui omnis offensæ Dei gravis est peccatum mortale: assert enim mortem spirituales animæ, & inducit reatum æternæ damnationis. Ergo omnis obligatio in conscientia gravis sufficit ad peccatum mortale, & consequenter si lex humana potest inducere obligationem in conscientia gravem, quando id necessarium est, vel expedit ad bonum commune, potest, quando id necessarium est, vel expedit ad bonum commune, inducere obligationem in conscientia, sufficientem ad peccatum mortale.

*Obj. 1.* Inferior non potest ligare in foro superioris, Ergo homo non potest ligare in foro conscientiæ, quod est forum Dei. 2. Nemo ligare potest in eo foro, in quo non potest solvere. Sed legislator humanus non potest solvere in foro conscientiæ. Ergo, &c. Nulla lex humana obligat ad pœnam aliquam, nisi per ipsam legem expressè imponatur. Atqui nulla lex civilis expressè imponit pœnam peccati mortalis, seu damnationis æternæ. Ergo nulla lex civilis obligat ad pœnam peccati mortalis, & consequenter nulla lex humana imponit obligationem in conscientia, sufficientem ad peccatum mortale.

*R. ad 1. ant.* fallum esse, quando inferioris præceptum violari non potest sine offensæ superioris: tunc enim præceptum ab inferiore impositum obligat in foro superioris, cujus est offensam suam vindicare. Propter eandem rationem. *R. ad 2. neg. maj.* cujus falsitas ostenditur etiam ex eo, quod quilibet hominum, v. gr. per votum, possit se ipsum ligare in foro conscientiæ, licet non possit in illo se ipsum solvere. *R. ad 3.* majorem veram esse de pœnis, pro culpa determinandis, non de pœnis ex natura rei cum culpa connexis, qualis est pœna damnationis æternæ; nam ex natura rei connexa est cum culpa mortali. Unde fit, ut lex humana, quælibet, gravem in conscientia obligationem, ac proinde ad mortale peccatum sufficientem imponens, hoc ipso quod talem imponit obligationem, obliget transgressores ad damnationem æternam.

## RESPONSIO III.

Ad hoc ut lex humana, sive civilis, sive ecclesiastica, gravem in conscientia, ac proinde sufficientem ad mortale peccatum imponat obligationem, requiritur materia gravis, graviter præcepta, vel prohibita.

*Prob. 1.* Quod requiratur materia gravis. Nam legislator humanus, sive civilis, sive ecclesiasticus, habet potestatem obligandi limitatam, & proportionatam exigentiæ & capacitati materiæ: illimitatam enim potestatem obligandi in legislatore humano, ita ut possit pro arbitrio circa res levissimas graves obligationes imponere, nec exigit nec patitur bonum commune, propter quod hominibus data est potestas per leges obligandi. Atqui materia levis, quantum est ex se, nec exigit, nec potest esse subjectum gravis obligationis, sed levis tantum. Ergo, &c. Dixi autem, quantum est ex se; quia Deus pro supremo suo dominio, & propter justas causas quas habere potest, ad rem aliquam levem faciendam, vel omittendam, potest graviter obligare, ut patet ex præcepto primis parentibus in statu innocentie imposito.

Porro ad gravitatem materiæ duo requiruntur. Et 1. quidem, ut finis proximus legis, ratione cujus materia præcepta constituitur in tali vel tali specie vir-

S

tutis,



ntis, sit magni momenti in ordine ad bonum commune. 2. Ut id quod præcipitur, multum ad finem illum conferat. Sic v. g. quia finis iustitiæ est magni momenti in ordine ad bonum commune, & ad illud procurandum necessarius est, si finis proximus legis sit ut unusquisque, quod suum est habeat, & id quod præcipitur multum conferat ad hunc finem, ita ut per transgressionem præcepti, multum lædatur æqualitas servanda, materia præcepta gravis est.

*Prob. 2.* quod requiratur materia graviter præcepta, vel prohibita. Obligatio in conscientia, quam imponit lex, est effectus moralis, quem facit legislator per applicationem juris quod habet ad obligandum. Ergo lex imponit obligationem in conscientia gravem vel levem, prout legislator jus obligandi quod habet, applicat ad obligandum sub gravi, vel sub levi. Atqui legislator humanus etiam in materia gravi potest pro arbitrio jus obligandi quod habet applicare ad obligandum sub gravi, vel sub levi: nam exercitium juris obligandi, quod habet legislator humanus, est in ejus libera potestate, & potest, si velit, hoc jure uti moderate, nec tantam imponere obligationem, quantum posset imponere: quod etiam interdum conducere potest ad rectam gubernationem. Ergo lex humana imponit obligationem in conscientia gravem, vel levem, etiam in materia gravi, prout legislator vult jus obligandi quod habet, applicare ad obligandum sub gravi, vel sub levi: Ergo ut lex humana etiam in materia gravi imponat obligationem in conscientia gravem, requiritur, ut legislator humanus jus obligandi quod habet, applicet ad obligandum sub gravi, volendo tantam obligationem imponere, quantum potest, remque ex toto jure suo præcipiendo, vel prohibendo, quod est rem graviter præcipere vel prohibere. Ergo, &c.

*Obj. 1.* Legislator humanus non potest rem levem præcipere vel prohibere sub gravi. Ergo nec potest rem gravem præcipere prohibere sub levi. R. neg. conseq. Itaque legislator humanus non potest præcipere vel prohibere rem levem sub gravi, quia hoc excedit limites potestatis ejus, & solus Deus, propter supremum quod habet in creaturas suas dominium, hoc potest. At legislator humanus potest rem gravem præcipere vel prohibere sub levi; quia sicut rem gravem liberè præcipit vel prohibet, ita rem gravem præcipiendo vel prohibendo, jus obligandi quod habet, liberè applicat ad obligandum, & ita, si vult, applicat ad obligandum sub levi tantum, potestque sic applicandi iustas & rationabiles causas habere; ut patet ex multis legibus & constitutionibus religiosis, approbatis à Summis Pontificibus, quæ licet sint de rebus gravibus, & ad mortale peccatum sufficientibus, sub mortali tamen non obligant, quia expressè declarant se nolle tantam obligationem imponere.

*Quæres,* quandom legislator humanus aliquid graviter præcipiat vel prohibeat.

R. Legislator humanus aliquid graviter præcipit vel prohibet, 1. Quando per legem suam explicat se velle obligare sub mortali, ut quandoque faciunt legislatores Ecclesiastici; aut se velle obligare, quantum potest.

2. Quando legislator fert legem cum interminatione, vel impositione gravis pœnæ, sive temporalis, sive spiritualis, nisi tamen constet ex tenore legis, eam esse purè pœnalem, qualem esse contingere potest legem, quæ pœna purè temporalis imponitur.

3. Quando legislator absolute præcipit vel prohibet, & materia quæ præcipitur vel prohibetur, gravis est. Tunc enim verbum præcipiendi vel prohibendi, absolute prolatum sufficiens indicium est voluntatis obligandi graviter: nam tunc legislator censetur se accommodare gravitati materiæ.

Porro ad hoc ut legislator præcipiendo vel prohibendo aliquid grave, graviter obliget, necesse non est ut id verbis exprimat, vel præcipiat, aut prohibeat cum interminatione, vel impositione gravis pœnæ; nam v. g. Deus per legem suam, sive naturalem, sive positivam, absolute præcipiens vel pro-

hibens aliquid grave, censetur ab omnibus illud graviter præcipere vel prohibere: sicut absolute præcipiens vel prohibens aliquid leve, censetur ab omnibus illud præcipere vel prohibere leviter, quia censetur ab omnibus absolute præcipiendo vel prohibendo, accommodare se gravitati aut levitati materiæ. Similiter, qui simpliciter vover aliquid, censetur se accommodare gravitati vel levitati materiæ quam vover, & se obligare graviter, si materia gravis, leviter verò, si levis est. Quidni ergo idem censetur de legislatore humano, simpliciter & absolute aliquid præcipiente vel prohibente?

4. Denique, quod legislator humanus aliquid præcipiat vel prohibeat graviter, cognosci potest ex alia lege, istam explicante, aut ex communi hominum consensu existimantium legem graviter obligare; non enim præsumi potest, omnes errare: vel ex usu & consuetudine aliqua; nam consuetudo est optima legum interpretes.

#### ARTICULUS V.

*Utrum lex humana obliget sub mortali, ne violetur ex contemptu, etiam in minimis.*

**N**ota 1. Contemptus alius est rectus & ordinatus, alius verò vitiosus & inordinatus. Ordinatus est ille, quo res aliqua, vel persona parvi æstimatur, quia parva est, & parvi facienda. Inordinatus est ille, quo res vel persona aliqua minoris æstimatur, quam debet, & ejus dignitas postulat. Duplex autem distinguitur, nempe formalis & virtualis, seu interpretativus. Res vel persona contemnitur virtualiter & interpretativè, quando fit aliquid quo res persona aliis immeritò postponitur, quamvis id non intendatur directè, Sic. v. gr. peccator quilibet per quodlibet peccatum mortale contemnit Deum virtualiter & interpretativè, quia per quodlibet peccatum mortale, licet non hoc directè intendat, creaturam anteponebat Deo, volendo creatum aliquid, impossibile cum possessione Dei.

Contemptus formalis est, quando aliquid fit ex intentione directâ & expressâ, ut res vel persona ostendatur contemni: aut etiam ut contemnatur ab aliis; qui modus contemnendi altero longè deterior est, & consistere potest modò in tribus actibus, modò in duobus tantum.

Nam qui rem vel personam contemnit formaliter, aliquando minùs rectè, aliquando verò rectè sentit de re vel persona quam contemnit. In primo casu, contemptus formalis dicit intrinsecè tres actus, actum scilicet intellectus, minùs quam par est, de re vel persona existimantis; actum voluntatis, hanc justo minorem existimationem exterius manifestare, & aliis ingenerare volentis, & effectum externum, seu id quod exterius fit vel omittitur, ex intentione manifestandi, & aliis ingenerandi existimationem illam justo minorem.

In secundo verò casu, in quo contemnens, propter evidentiam quæ convincitur, non potest non habere rectam de re vel persona existimationem, contemptus formalis duos tantum dicit actus, nempe affectum rem vel personam contemnendi, & effectum externum, seu id quod ex affectu contemnendi rem vel personam, exterius fit vel omittitur à contemnente, ut ostendat se rem vel personam contemnere interius, aut etiam ut ab aliis contemni procuret.

*Nota 2.* Contemptus formalis, ut dictum est, versari potest circa rem vel personam. Quando versatur circa rem præceptam, pertinet ad vitium, quod opponitur virtuti præceptæ. Sic v. g. contemptus formalis jejunii pertinet ad speciem intemperantiæ, quia intemperantia opponitur virtuti, cujus actum præcipit lex jejunii; & formalis contemptus orationis pertinet ad speciem irreligionis; quia irreligio opponitur virtuti, cujus actum imperat præceptum orationis. Quando verò versatur circa personam, vel versatur circa personam indifferentem, vel circa superiorem,

vel



vel circa parentes, vel circa Deum. Si primum, est injustitia. Si secundum, est irreverentia. Si tertium, est impietas. Si denique quartum, est irreligio.

*Nota 3.* Lex humana potest dupliciter contemni, formaliter scilicet, & virtualiter seu interpretative. Contemnitur formaliter, cum aliquid exterius fit vel omittitur contra illam, ex intentione directa & expressa, ut ostendatur contemni, aut etiam ab aliis contemnitur, sive id quod exterius fit vel omittitur contra illam, intentionem talem præ se ferat ex natura sua, sive non. Contemnitur virtualiter & interpretative, cum affective minoris sit quam debet, seu, quod idem est, cum subditus minus quam par est, ad illam afficitur. Unde semper contemnitur virtualiter & interpretative, quotiescumque violatur; quia quotiescumque subditus transgreditur legem, minus quam par est, ad illam afficitur, & ita affective minoris illam quam par est, facit. Sic autem legem humanam contemnere in re levi, non est peccatum mortale; cum nequidem sit peccatum mortale, sic legem divinam in re levi contemnere; alioquin leges divinæ nunquam violarentur sine peccato mortali, quando quidem nulla planè lex violari potest sine virtuali & interpretativo contemptu in sensu explicato.

*Nota 4.* Quando lex humana contemnitur contemptu formali, vel contemnitur ex parte rei præceptæ, vel ex parte legislatoris, vel ex parte utriusque. Contemnitur ex parte rei præceptæ, cum aliquid exterius fit vel omittitur ex directa intentione, ut res præcepta ostendatur parvi fieri, aut etiam ut ab aliis parvi fiat. Contemnitur ex parte legislatoris, cum aliquid exterius fit vel omittitur ex directa intentione, ut ostendatur parvi fieri, aut etiam ut ab aliis parvi fiat tum res præcepta, tum autoritas, vel persona legislatoris, sive interius, quod semper supplendum est, re ipsa parvi fiant per existimationem iusto minorem, sive non.

Dixi autem, autoritas, vel persona legislatoris: potest enim legislator dupliciter considerari, nimirum formaliter, ut legislator est & superior, & materialiter, ut est hic homo. Unde cum lex humana formaliter contemnitur ex parte legislatoris, contemni potest vel ex parte legislatoris formaliter sumpti, ut est legislator & superior; vel ex parte legislatoris materialiter sumpti, ut est hic homo; vel denique ex parte legislatoris utroque modo sumpti, & ut est superior, & ut est hic homo. Si lex humana primo modo contemnitur, contemnitur autoritas legislatoris: si secundo modo, contemnitur persona legislatoris: si tertio, seu utroque modo contemnitur, contemnitur & autoritas & persona legislatoris.

*Nota 5.* Certum est, non semper esse peccatum mortale, quod lex humana contemnitur etiam formaliter ex parte rei præceptæ. Ratio est, quia res præcepta potest esse parvi momenti. Non est autem gravis inordinatio in eo, quod res parvi momenti etiam formaliter contemnitur. Item certum est, non semper esse peccatum mortale, quod lex humana contemnitur formaliter ex parte legislatoris, materialiter sumpti, ut est hic homo, & habet defectum aliquem: nam potest esse veniale ex levitate materiae, & modo contemnendi. Tota ergo difficultas est de contemptu formali legis humanæ ex parte legislatoris formaliter sumpti, ut legislator & superior est. Sed pro resolutione sit

## RESPONSIO.

Transgredi legem humanam ex formali contemptu legislatoris humani formaliter sumpti, semper est peccatum mortale.

*Prob.* Transgredi legem humanam ex contemptu formali legislatoris humani formaliter sumpti, est eam transgredi ex contemptu formali legislatoris humani, sumpti ut est minister Dei, & vicem ejus ge-

*Simonnet Theol. Tom. II.*

rit. Nam legislator humanus, formaliter sumptus, est legislator humanus, quæ legislator & superior; & legislator humanus, quæ legislator & superior, est legislator humanus, quæ minister Dei, & Dei vicem gerens, juxta illud Apostoli Rom. c. 13. de legislatoribus humanis, quæ talibus loquentis: *Ministri Dei sunt, in hoc ipsam servientes.* videlicet ut malos legibus suis coerceant. Atqui transgredi legem humanam ex formali contemptu legislatoris humani, sumpti ut est minister Dei, & vicem ejus gerit, semper est peccatum mortale. Ergo, &c.

*Prob. min.* Nam transgredi legem humanam ex formali contemptu ipsius Dei, semper est peccatum mortale: aliquid enim exterius facere vel omittere ex directa intentione ostendendi; vel aliis ingenerandi minorem de Deo existimationem, etiam si illud quod exterius fit vel omittitur, quid minimum sit, gravem continet inordinationem, quia sic contemni graviter disconvenit in spiritum Dei majestati. Atqui transgredi legem humanam ex formali contemptu legislatoris humani, sumpti ut minister est Dei, & Dei vicem gerit, est illam transgredi ex formali contemptu ipsius Dei: nam ex natura rei injuria ministri, ut talis, est simul & indivisibiliter injuria Domini. Unde illud Christi Luc. c. 10. *Qui vos spernit, me spernit:* & illud Apostoli Rom. c. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.* Ergo, &c.

*Obj.* Formalis contemptus legislatoris humani, etiam formaliter sumpti, non est gravius peccatum, quam furtum, inobedientia, sacrilegium, &c. quæ tamen interdum sunt tantum peccata venialia, ob materiæ levitatem. Ergo, &c. *R. neg. ant. & dico* formalem contemptum legislatoris humani, formaliter sumpti, fieri non posse levem per levitatem materiæ, quia formalis contemptus legislatoris humani, formaliter sumpti, est simul & indivisibiliter formalis contemptus Dei. Omnis autem formalis contemptus Dei est mortalis, quia propter excellentiam infinitam divinæ majestatis, gravem deordinationem, proindeque gravem malitiam continet, quantumvis in re minimi momenti contemnat, Deus.

## ARTICULUS VI.

*Utrum lex humana obliget cum periculo cujuscumque documenti temporalis, etiam mortis.*

## RESPONSIO I.

**L**egislator, tam civilis quam ecclesiasticus, potest quandoque suis legibus obligare cum mortis periculo.

*Prob.* Legislator humanus, sive civilis, sive ecclesiasticus, potest id totum, quod ad bonum commune procurandum necessarium est. Est enim in quavis communitate perfecta, sive civili, sive ecclesiastica, tota potestas necessaria ad sui conservationem & bonum commune procurandum. Nam Deus, ut author naturæ, cujuslibet communitatis civilis, & Christus Ecclesiæ gubernationi, & communi bono sufficientissimè providit. Atqui quandoque ad reipublicæ conservationem & commune bonum procurandum, necessaria est lex, obligans ad aliquid agendum, vel in aliquo loco perieverandum cum periculo vitæ. Ergo, &c.

*Obj.* Quando communitatis conservatio & bonum commune postulat, ut subditi aliquid agant cum vitæ, periculo, tunc sola lex naturalis obligat ad subeundum mortis periculum, & lex humana solum cogit subditos ad satisfaciendum obligationi naturali. Ergo, &c. *R. tunc* legem naturalem obligare subditos in communi ad subeundum periculum. Unde adhuc necessaria est lex humana, quæ hanc obligationem ad has vel illas personas applicet, quæ applicatio esse non potest sine præcepto propriè dicto, & propriè obligante has vel illas personas determinatè; proindeque supponit in legislatore humano potestatem non solum cogendi ad servandum obligationem naturalem, sed etiam imponendi veram obligationem.



Præterea, quando communis conservatio & bonum commune non postulat, ut hoc potius fiat quam illud cum vitæ discrimine, certe lex naturalis non obligat subditos etiam in communi ad hoc potius faciendum quam illud. Necessè igitur est ut interveniat legislatoris humani præceptum, ut subditi ad hoc potius quam illud faciendum obligentur, quæ certe obligatio non est legis naturalis, sed humanæ.

Item quando certum non est, quid communis conservatio & bonum commune postulet, ut hoc vel illud fiat cum mortis periculo, tunc certum non est, quid lex naturalis obliget subditos etiam in communi. At ubi primum intervenit iudicium & præceptum legislatoris, præcipientis ut hoc vel illud fiat, tunc est certa obligatio hoc vel illud faciendi etiam cum vitæ discrimine. Hæc autem obligatio non per legem naturalem, sed per humanam inducitur.

## RESPONSIO II.

Lex humana tunc maximè, & quasi per se obligat cum periculo vitæ, quando tale periculum per se conjunctum est actui præcepto, modò tamen lex iusta sit, quod semper præsumi debet, nisi contrarium constet evidenter.

*Prob.* Nam si tunc lex humana non obligat cum periculo vitæ, vel quia legislator humanus nunquam potest obligare cum tali periculo; vel quia tale periculum censeri potest esse præter scientiam legislatoris, & ita censeri potest legislator noluisse cum tanto periculo obligare; vel denique quia lex iusta non est. Nihil horum dici potest. Non primum, ut patet ex Respons. I. Non secundum; nam periculum per se connexum cum actu præcepto, censeri non potest ignoratum esse à legislatore, & ita censeri non potest legislator non habuisse intentionem obligandi cum tali periculo. Non denique tertium, quia supponitur legem iustam esse, ad quod requiritur in præsentia, ut lex præcipiat aliquid grave, & valdè necessarium ad bonum statum, vel conservationem reipublicæ; nam respublica non habet dominium vitæ civium, sed solum convenientem usum, & ita non potest propter leves & ordinarias causas cives obligare & cogere ad vitam perdendam, sed solum propter graves, & non ordinarias, & quando id absolute, aut saltem valdè necessarium est ad ejus bonum statum, vel conservationem. Ergo, &c.

Porro semper præsumendum est pro iustitia legis, quando injustam esse non apparet manifestè, & ita lex servanda est etiam in præsentia casu, nisi manifestè appareat injustam esse; quia in dubio tutior pars semper tenenda est, & in dubio semper prævalet jus superioris juri inferiori, & quamvis quilibet homo jus habeat in vitam suam, tamen in eam majus habet jus reipublicæ, quia civis magis est reipublicæ, quam sui ipsius.

*Obj. 1.* Dare vitam propter opus quod non est per se necessarium ad salutem vel honestatem, est opus supererogationis. Atqui lex humana non potest ejusmodi opera præcipere. Ergo, &c. R. per opus supererogationis vel intelligi opus quod lege divina, sive naturali, sive positiva, præceptum non est, sed est utroque jure divino indifferens; vel opus, quod non habet necessariam connexionem neque cum fine ultimo, neque cum temporali vel spirituali bono communi reipublicæ. Si primum, falsum est quod lex humana non possit præcipere opera supererogationis; potest enim præcipere multa, quæ nullo jure divino præcepta sunt: cum talis potestas ad rectam reipublicæ gubernationem requiratur. Si secundum, fateor legem humanam non posse præcipere opera supererogationis, præsertim cum periculo vitæ. At nego quod dare vitam pro republica sit semper tale opus; nam quandoque habere potest connexionem necessariam cum bono statu reipublicæ, vel ejus conservatione.

*Obj. 2.* Homo quilibet lege naturali tenetur vitam conservare. Ergo, nulla lex humana obligare potest ad illam perdendam. R. Duplex est naturale præ-

ceptum conservandi vitam, unum negativum, & alterum affirmativum. Negativum est illud, quo lex naturalis prohibet ne quis se ipsum occidat, & quod obligat semper & pro semper. Affirmativum est illud, quo lex naturalis præcipit, ut aliquid fiat ad conservandam vitam, & mortem vitandam. Hoc autem præceptum non obligat pro semper. Nam recta ratio dicitur, vitam exponi posse periculo pro bono communi, quando id postulat bonum commune, imò & propter multas alias causas rationabiles & honestas.

## RESPONSIO III.

Quando mortis periculum non est per se, sed solum contingenter connexum cum actu præcepto, tunc lex humana per se non obligat cum periculo vitæ.

*Prob. 1.* à pari. Lex positiva divina, quæ humana longè gravior est, non solet obligare cum periculo vitæ, quando tale periculum non est nisi contingenter connexum cum actu præcepto. Ergo multò minus obligat lex humana. Probari potest aut multis exemplis, ut exemplo Davidis, qui propter necessitatem comedit panes propositionis, quos tamen comedere, lege divina prohibitum erat laicis. Exemplo Machabæorum, qui licet contra hostes pugnarent die sabbati, &c. Ostendi etiam potest ex lege Christi, quia materialis integritas confessionis præcipitur, & quæ aliquando non obligat propter grave aliquod periculum.

*Prob. 2.* Idem iudicium esto de omni alia lege humana, ac de lege jejunii. Atqui lex jejunii non obligat cum periculo vitæ. Ergo, &c. Ratio à priori, & omnibus humanis legibus communis est, quia legislator humanus potestatem non habet obligandi ad actum quem præcipit, non obstante quacumque necessitate, accidentaliter adveniente; quia talis potestas non requiritur ad bonum commune procurandum, imò bono communi potius obesset, quam prodesset: vel certe, si habuit potestatem obligandi pro tali casu, rectè censetur noluisse obligare; nam prudens legislator, qualis semper præsumi debetis quilegem tulit, non obligat quantum potest, sed cum moderatione & benignitate, nisi aliud bonum commune evidenter exigit. Hinc si obligatio aliqua gravior sit & durior, licet non sit manifestè injusta, & supra legislatoris potestatem, meritò censetur esse præter ejus intentionem. Quod etiam in lege positiva divina interpretanda observant communiter Doctores.

Porro ratio allata non solum probat legem humanam non obligare cum periculo vitæ, contingenter conjuncto cum actu præcepto, sed nec obligare cum alio periculo gravis nocuenti, qualis est gravis infamia, vel magna bonorum temporalium jactura, quando similiter grave illud nocumentum cum actu præcepto connexum est contingenter tantum.

Dixi autem in Resp. Per se non obligat: nam in quibusdam casibus lex humana per accidens obligat, etiam cum periculo vitæ, vel alterius cujuscumque gravissimi nocuenti, contingenter tantum legis observationi adjuncto, ut quoties legis non observatio cederet in scandalum pusillorum, vel in contemptum religionis, aut legislatoris: item si legem non observans, fidem non profiteretur debito tempore, vel ad aliquid intrinsecè malum cooperaretur. Quandonam autem lex humana per accidens obliget ad sui observationem cum periculo vitæ, aut alterius cujuslibet nocuenti gravissimi, quod observationi legis non est nisi contingenter adjunctum, prudentium iudicio relinquitur id definire ex circumstantiis.

*Obj. 1.* Bonum commune præferendum est bono privato, & homo tenetur vitam perdere pro bono communi. Ergo cum lex humana propter bonum commune feratur, semper servari debet, non obstante quocumque periculo accidentario. R. n. conf. Itaque bonum commune privato præferri debet, & ita homo tenetur vitam perdere pro bono communi, quando id necessarium est. At licet propter bonum commune feratur lex, eam tamen observari non semper necessarium est.



est ad bonum commune, cui sufficientissime providetur, si regulariter, & extra casus extraordinarios de quibus agitur, observetur lex, quæ proinde sic finem suum consequitur sufficienter.

*Obj. 2.* Subditus licet potest servare legem humanam, non obstante periculo mortis, quod actui præcepto accidentarium est. Ergo revera obligatur ad servandam legem humanam, non obstante, &c. *R. neg. conseq.* Aliud enim est obligari ad servandam legem cum periculo mortis, & aliud licet posse illam observare cum tali periculo. Plus enim ad primum requiritur quam ad secundum; & quamvis ad utrumque gravis & iusta causa requiratur, quia homo vitam suam prodigere non potest pro quacumque etiam levi causa; gravior tamen ratio necessaria est, ut subditus ad id obligari possit, quam ut id propria sponte facere possit licet & honeste: honesta enim, quando valde ardua sunt & difficilia, non possunt nobis ab hominibus præcipi sine magna aliqua & speciali necessitate, qua non indigemus ad ea propria sponte faciendâ licet & honeste. Hinc subditus potest licet & honeste, vitam exponere pro bono communi, quoties hoc bono communi magnopere profuturum esse speratur. At non potest ad id obligari à legislatore humano, nisi hoc postulet extrema, vel saltem gravis aliqua necessitas boni communis.

*Obj. 3.* Non potest quis propter periculum mortis contrahere cum consanguinea in gradu prohibito per legem humanam. *R.* inde nihil sequi pro legibus merè præceptivis, vel prohibitis, de quibus tantum hic agitur, & quas negamus per se obligare cum periculo mortis accidentario. Lex enim prohibens matrimonium cum consanguinea in certo gradu, non purè prohibet, sed etiam irritat tale matrimonium, & quidem absolute, non obstante quocumque periculo, quod non contrahendo incurri potest, ut constat ex communi sensu Doctorum, & praxi Ecclesiæ. Unde qui contrahit propter mortis periculum cum consanguinea in gradu prohibito per legem, peccat graviter: nam sic contrahendo vel tentat facere sacramentum, vel non tentat. Si primum sacrilegium admittit: qui enim tentat sacramentum facere; cum non potest, sacrilegus est. Si secundum, saltem fictè agit in re gravi, quod esse non potest sine peccato mortali.

*Dices.* Lex humana irritans matrimonium cum consanguinea in certo gradu, irritat, non obstante periculo mortis accidentario. Ergo similiter lex humana purè præcipiens vel prohibens aliquem actum non obstante periculo mortis accidentario, obligat.

*R. neg. conseq.* Ratio disparitatis est, quia ad bonum statum & rectam gubernationem reipublice requiritur, ut lex irritans matrimonium cum consanguinea intra certos gradus, irritet illud absolute & pro quocumque casu; nam si non irritaret absolute & pro quocumque casu, innumera ejusmodi matrimonia fierent ob metum mortis, unde plurima & gravissima incommoda orirentur contra commune bonum reipublice, cui proinde non esset satis provisum. At verò ad bonum statum & rectam gubernationem reipublice sufficit, quod lex purè præcipiens vel prohibens aliquem actum, ad illum faciendum vel omittendum regulariter, & extra casus extraordinarios, hoc est, extra periculum mortis, vel alterius gravis nocuenti, obliget; & sic tantum obligando, satis providet bono communi, proindeque satis consequitur finem suum, quod est bonum commune: non ergo debet majorem obligationem imponere.

*Obj. 4.* Regula Carthusianorum non vescendi carnibus, obligat egrotos etiam cum vitæ discrimine. Ergo, &c. *R.* Carthusianos i. posse licet & laudabiliter abstinere ab esu carnium etiam cum periculo mortis, quia licitum est & laudabile, atque sanctorum usu confirmatum aliquid facere, unde vita brevior futura sit, modo id fiat ob gravem aliquam & honestam causam. 2. revera obligari ad abstinendum ab esu carnium cum mortis periculo quia lex non vescendi carnibus etiam cum vitæ periculo, in sancta illa re.

*Simonet Theol. Tom. II.*

religione lata, nec injusta est, nec durior censi potest; nam lata propter magnam utilitatem, seu magnum bonum communitatis, nec obligat nisi homines illi se per vota liberè omiffa voluntariè submittentes, & potest legislator humanus ad aliquem actum, etiam cum periculo mortis contingenter adjuncto, obligare homines legi voluntariè se submittentes, modo ad ferendam legem moveri possit magna aliqua utilitate, seu magno aliquo bono communitatis; neque tunc ad legem ferendam requiritur extrema vel gravis necessitas communitatis. Inde autem nihil sequitur contra assertionem nostram, in qua non agitur, nisi de lege humana aliquem actum præcipiente vel prohibente subditis, quibus liberum non est se submittere, vel non submittere obligationi legis, quales sunt subditi communitatis civilis, vel ecclesiasticae.

*Quæres.* utrum leges præsumptivæ obligent in conscientia.

*R.* Leges præsumptivæ non obligant in conscientia, quando fundantur in falsa præsumptione. Nam in foro conscientie non habetur ratio falsæ præsumptionis, sed solius veritatis. Sublato autem legis fundamento, lex non subsistit, nec obligat.

Porro duplex est præsumptio, una periculi, seu potentie, quæ frequenter ad actum reducitur; altera vero facti. Quando lex fundatur in præsumptione periculi, licet non existat, nec exiturum sit factum quod timetur nihilominus manet legis obligatio. Sic v. g. lex irritans & prohibens testamenta, legata, & alios similes contractus, sine certa solemnitate facta, quamvis nulla fraus intercesserit, habet tamen omnem effectum suum quia non in fraude facta, sed in periculo fraudis faciendæ fundatur. Idem dic de lege Conc. Trid. irritante & prohibente matrimonium clandestinum; quia fundantur in periculo variorum scelerum, quæ ex ejusmodi matrimoniis oriri possunt. Idem etiam dic de lege ejusd. Conc. irritante & prohibente vororum professionem factam ante decimum sextum ætatis annum expletum; quia non in defectu iudicii ad hanc professionem necessariam, fundatur, sed in periculo ut desit. Idem denique dic de lege irritante & prohibente bonorum Ecclesiæ alienationem, factam sine certa solemnitate; quia fundatur in periculo, ne in detrimentum Ecclesiæ fiat hæc alienatio.

Quando autem lex fundatur in præsumptione facti, quod supponitur in re existere, si factum non existit, & ita falsò præsumitur, lex non obligat, quia legislator non intendit obligare, nisi præsumptio cum veritate concordet, & factum re ipsa existat, quale præsumitur. Sic v. g. lex præcipiens ut obediant sententiæ quia præsumit eam esse justam, non obligat, si sententia sit injusta. Sic etiam cum Ecclesia præcipit aliquibus ut cohærent, quia præsumit eos esse valido matrimonio conjunctos, nec obligat, nec obligare potest, si propter occultum aliquod impedimentum, matrimonium invalidum est; & illi quibus præcipit ut cohærent, choabitando peccant mortaliter. Porro quandonam leges præsumptivæ fundentur in præsumptione periculi, quandonam in præsumptione facti, cognoscitur ex tenore & materia legis adjuncto usu, & interpretatione Doctorum.

## DISPUTATIO VII.

### De Lege penali.

#### ARTICULUS I.

*Utrum possit dari lex penalis mixta, & an re ipsa detur.*

#### RESPONSIO I.

**D**ari potest lex penalis mixta.

*Prob.* Lex penalis mixta est ea, quæ obligat in conscientia ad faciendum vel omittendum aliquid, & simul poenam imponit transgressoribus: unde con-